

Primo quia ad te uado uenia. **Just** **H**ec uia
est in uirtute. **D**omi est te. **Exaltatio**
hec uia te dicit. **Exaltatio** dicit in uirtute. **Respo.**

Et passionem suam per dies quadraginta apparet

Handwritten musical notation (neumes) on red lines, including a large initial 'P' and various rhythmic markings.



ΣΤΝ ΘΕΩ

INAUGU-

RATIO POE-

TICA,

AUDITORIUM, CATHEDRÆ, SUBSELLIORUM,

IN

GYMNASIO

PIETATIS ET HUMANITATIS

REIPUBL. IMPERIALIS

MULHUSINÆ,

STUDIIS ILLIS

FELICI AUSPICIO

ET FACTORUM & CONSECRATORUM:

EX AUGURIO & ARUSPICINA VETERUM

RECENTATA,

ET PUBLICO IN CONSENSU,

HEROICO METRO

PERACTA

IV. NON. IXBR. AN. ∞ IO CXXVI.

AUSPICE VICARIO

M. GEORG. ANDREA FABRICIO,

P. L. CÆS. GYMNASIARCHA.

MULHUSII,

TYPIS JOHANNIS PERTICARII.

CHARISIN
OPTIMIS, FLORENTISSIMIS,
TRINO SIBI FOEDERE JUNCTIS,
ARUSPICINÆ NOSTRÆ SIPARIO
VELATIS:

AGLAIÆ SPLENDIDISSIMÆ,
EUPHROSYNÆ JUCUNDISSIMÆ,
THALIÆ BENEFICENTISSIMÆ.

HOC EST,

SIPARIO AMOTO,
MAGNIFICIS, AMPLISS. CONSULTISS.
CLARISS. PRUDENTISSIMIS
VIRIS,

ORDINIS SENATORII
TRIPLICIS,

REIPUBL. IMPERIALIS

M U L H U S I N Æ,

NOSTRATIUM MUSARUM
DIS TUTELARIBUS

L. M. Q.

HEIC QVICQVID EST BONI

VOVET ET CONSECRAT

M. G. A.
FABRICIUS,

P. L. C.

G.



ILLIS IPSIS

SAL. OFFICIOSAM!

QVeis hoc AUGURIUM, hanc ARUSPICINAM,
quam feci studijs redintegrandis,
& Ludo & Cathedræ heic inaugurandis,
submittam potius? TRIBUS profectò
debetur CHARISIN, quod expeditum
mandato dedit ille GRATIARUM
AUGUR. Vos capitote, quæso, fronte
AGLAJÆ, EUPHROSYNES; sed & THALIÆ.

Certè vos, VOLUCRES meas probare,
Vos censere ANIMALIUM catervam,
intra quæ spatium fuere nostrum,
extrà quæq; fuere, quæq; votum
post extrà ut maneat meum est eritq;
trino iudicio foroq; fas est.

Conservate bonum, malumq; nostris
arceatè à studijs. Favete Musis,
quas vestro sociat choro benignus
& Fons, & Pater omnium supremus.

Sic posthàc bene prospereq; cedant
Vobis omnia! Sic ARUSPICINA,
& sic AUGURIUM meum perennem
urbi nunciet unicè salutem!

AD CLARISSIMUM ET EXCELLEN-
TISSIMUM VIRUM,

M. GEORG. ANDREAM FABRICIUM,
POET. LAUREATUM CÆSAREUM,

IMPERIALIS MOLHUSÆ RECTOREM,
AC GYMNASIARCHAM PRÆSTANTISSIMUM,
ARUSPICINAM POETICAM EDENTEM.

DUM canis AUGURIUM CHRISTO duce & au-
spice CHRISTO,

FABRICI, Aonij pars generosa chori:
Dum sumis præfaga novos in carmina fastus,
Carmina, queis Cathedræ personat alt' honor:
Fastus & meritis & carminis indole dignos,
Quâ cingit doctas laurus honora comas:
Dispeream AUGURIUM gravius, si suavius ullum
Auribus hisce hausi. Mellea Siren ades.
Pegasidum selecta meres PHILOMELA vocari,
Cui Charis in versu, cui Venus omnis inest.
Sæpè ita, sæpè altâ sic mente & voce parato
Venaturam oculis, auribus aucupium.
Nempe ex AUGURIO vatem, velut ungue leonem
Æstimo. quid? sapiens æstimat omnis idem.
Auguro non vates: servabunt ferta vitorem
Laurea FABRICIO: LAUREA donec erit.
Intereâ grandes applaudo ac gratulor ausus,
AUGURIO faveas, ô DEUS alme, sacro!

M. Immanuel Breitbarth, Ecclesie Patrie
ad B. M. V. Diaconus.



Σὺν Ἰεῶν ἡδὲ νῶν.



*Va nova nunc facies nostris se expla-
nat ocellis?*

*Quis nitor, & quis candor habent
nunc tecta Lycæi?*

*Et qua nunc video subsellia? quæve
Cathédram,
factam exquisitis variato emblemata
te lignis?*

*Ornamenta alia, eximijis celebrata Lycæis,
antè MULHUSINO nunquam sat cognita ludo?*

*Fallor? an huc Charites terne, ter ternaq; Musa
numina, præclaras docto cum Praside sedes
disposuere suas? An fors habitare sub istis
decrevere tholis? hac per subsellia doctos
constabilire pedes? ex hac audire Cathédra
Prasidis effata? aut sedem conscendere eandem,
mutuaq; inter se miscere & promere verba?*

*Prorsus ita est. nec fallor. Habent rē singula dicta.
Musarum heic locus est. Charitum sunt munere sacra
tecta, sub & tectis jam consedere sorores.
Jamq; etiam harmonicos animarunt voce canores.*

*Ergò quid faciam? Me a tu mihi LAURUS adesto;
qua quondam magno venisti à Cesare donum,*

A 3

Jussa

Jussa meas ambire comas, clarare Poëta
tempora, perq; homines gratum diffundere odorem.
Nempe meas tu cinge comas, & vertice ab isto
influe fragrantés vel in interiora cerébri
plasmata delicias, & odores sparge per omnem
hunc numerum, ut Charisii natum, Musisq; paratum
gratari hospitium dignè, nitidamq; sacrare,
augurio possim bene-fortunante, Cathedram.

Nec tamen hac poterunt Christjano indigna videri
nomine, si occultam spectabis in omine mentem.

Nempe Poëtarum nebulas, Heliconis & umbras
discute. Quid Charites? Nostri nunc esto Senatùs
GRATIA, que triplici ferto Charitonia reffert
agmina. Quid Musa? Studijs qui præsumus arte,
quiq; novem Musis numero sumus amulus ordo,
Gratia nobiscum triplicis versata Senatùs
hactenus, hospitium Musis indulgit amicum,
Museosq; choros multo stabilivit honore.

Salve docta Charis, nostri Patrona Lycèi
inclita. Te merito dignis mactamus honorum
laudibus, & cedro titulis inscribimus amplis
munera, Musæo que sunt collata theatro.

Hancce domum Tu nempe sacras nostratibus ausis:
Tu Cathedram Phœbo, Musis subsellia prestas.
Tu quid non? Immò ex voto das omnia Musis.
Vive D & O divina Charis, Tuq; ipsa deinceps
suffice, qua nobis, qua sunt prestanda Lyceo.

At vobis, Musæ, renovati tecta Lycèi

gratulor,

gratulor, & doctam, vestro pro munere, sedem.
Et tibi, quisquis eris, Musarum Phœbe, paratam
gratulor hanc Cathedram, duplici discrimine sellam.
Estote heic Musæ vigiles, estote fideles:
nunquam deficiant vos chara sedis alumni!
nunquam deficiat docto pro munere Præses,
qui Cathedram exornet, quiq; exornetur in illâ!

Interea Cathedram hanc ipsam, quã primitus istâ
impleo personâ; sed & hæc subsellia, qua vos
Musarum Charitumq; loco veneranda tenetis;
immò hoc quadruplici quod claudit pariete cunctos
Gymnasium, jamnunc Phœbo Musisq; dicandum,
Romano veterum ritu, sed ritè sacro,
hoc est, Christiano gestu, more, ordine, voto.

P O M P A virum præclara, tuo, si pergo, favore
pergo; meis faveas deinceps conatibus opto.
Vos reliqui, si vos & Musæ & Phœbus amarunt,
& Phœbo & Musis facileis advertite mentes.

A U G U R I O sacrare novam rem quamlibet olim
consuevere suo veteres pro more Quirites.
Augur erat vir quisq; gravis, sed Mysta perennis;
interpres Divum; potior pars ipse Senatus,
aut Rex, aut Præsul totâ dignissimus urbe.
Qualis erat Fabius Fabiorum Maximus ille;
immò qualis erat Romana conditor urbis
Romulus. Auspicij hujus rem quamlibet antè
munus erat tentare bonis; sed Di quoq; velent
perniciem

perniciem, reprobis: utrum succedere vellent,
an secus. Hinc idem speculari sidera, & omne
quadrupedum, alituum, bipedum genus: immò movere,
si quæ essent hominum causis obstacula Diva.

Principiò Mystes Dis supplex factus ut esset,
aris missus honos, nemorosa accedere tesqua,
scandere & aeriam turritis molibus arcem,
& cæli faciem, quæ sol quæq; astra pererrant,
scrutari. Quòd si fugerent simul imber & umbra,
& purus nitido splenderet ab æthere claror,
mox lituo cæli spatium disspescere, metam
desinire, vago quæ se fors ferret ab orbe.

Num cæli ex spacio tonitru, flammisq; venirent
fulmina sidereis? volucresvè per aëra ferri
inciperent; sursumné irent, vel ad ima deorsum?

Quæq; avis, an aquila; an sanquâlis, buteo, vultur;
an fortè innocuo præsens foret ore columba?

Anne etiam infelix bubo corvusq; volarent,
turbarentq; bonam infausto clamore salutem?

Quadrupedum genus? an vulpes, leo, capra, juvenca;
an lepus, aut asinus scenam venisset ad istam?

Ex hominum genere, an mulier, vel masculus illic
adforet? Hac augur tunc singularitè notabat,
atq; hinc vel faustum, vel contrà inferre solebat.

Quòd si quæ ostentis esset fors cognita rebus,
fatidico sonat ore omen. mox cætera turba
multa Deos precibus venerari, & tendere palmas,
quotquot erant, cuiusq; satûs, juvenesq; senesq;

seu

seu sortem servare bonam, seu vertere lavam.

Atq; his auspicijs res Augur inaugurat omnes,
dum res Romanae & veteris stat gloria sedis.

Vos qui praesentes nostratia tecta Lycæi
& Cathedram vultis, si vultis, inauguret iisdem
auspicijs quisquam: nec erit, me iudice, vobis
indignum hoc velle, aut cuiquam fecisse piaculum.

Sed quis erit nobis AUGUR? Date quælibet: ausim
quam dixi Charin, in medium statuisse theatrum.

Et quidni triplicis veneranda Corona Senatûs
Augur erit? Certè auspicio, Praeclare Senatus,
ista tuo nobis constant florentq; Lycæo,
immò Lyceum ipsum. Quid? Tu Rex noster in urbe,
& tecum vivit Remus cum fratre Quirino:

sunt tecum Fabij; tu nobis Praesul in urbe es,
aut facis, ut Praesul nostrâ sit dignus in urbe.

At nemo officium potuit mutare, nec Augur
desijt esse Augur. neq; Tu, Sacer Ordo Senatûs,
desine lassatis præbere cubilia Musis,
auspicijs curare bonis hac tecta Lycæi.

Munus & hocce tuû est, prudenti expendere curâ,
quidvè bonum sit, quidvè malum; quid fasq; nefasq;
utrum successura avibus res quæq; secundis,
utrum defectura malis? Tua cura salutem
procurare urbis, quo sidere quælibet orsum
heic capiant, qui quisq; suis sese applicet usquam
officijs? vitam quam vivat quisq;? sit anne
ex volucrum genere infaussto, faustove? columbus

B

integer

*integer? an corvus crocitanus? an garrula hirundo?
pica loquax? anne infelix vel noctua? vel sit
in tenebris vespertilio nigrantibus errans?*

*Detur & anne bipes, qui fiat quadrupes, & sit
vel leo, vel vapido occultet sub pectore vulpem?
Anne auritorum ex numero? leporina geratve
pectora? sitve asini corioq; piloq; rigenti,
& crasso capite, aut pedibus sit tardus eundo,
cum sunt commissio peragenda in munere partes?*

*Quando opus est, Charis hac Diras exquirere novit;
tollere si noceant. nuper, nisi fallor, & istas
sustulit e medio, & flammis crepitantibus ussit,
exemplumq; alijs fecit. Tu turba caveto
relliqua, si qua manes, & adhuc mortalibus obstas
rebus iniqua. Tuus te observat & inspicit Augur.*

*Mittamus Diras. Charitis sunt munera nostra
Gymnasium referare novum, revocare quod inde
abstulerant Fata & rigida violentia Mortis.
Nunc etiam Ludi renovati extendere laudes,
amplificare arcti Cathedramq; & jura Lycei.*

*Omniño hac voluit. Sed & heic eventus ab ista
parte voluntatis faciles transiit in actus.
Atqui etiam voluit Cathedram sacrarier amplo
Auguris officio. Quare dignissimus urbe
Præsul in hoc primas tenuit, votisq; peractis
multa animi pietate, nova benedicere sedi
jam voluit, precibusq; pijs sacrare Lycæum.*

O bene!

O bene! Tu precibus Mysta, DEUS, annue sacris!
Ast nunc me iussit partes & obire secundas:
iussit, nempe Charis, iussit quoque Mysta verendus,
Auguris officio me fungi & voce Catbedram
insignere novam, ac votis sacrare secundis,
felici auspicio. Sic ergo vicarius adsum,
ex turri hac lustrare vias primum aetheris, & mox
quâ veniant ex parte suis animalia signis.

Cælum, quod video, Patres, satis ecce serenum est.
Nec tamen attendo, qua vel nimbosus Orion
excitet; aut jam-mox hyberni sideris hora
turbet, & hoc nostrum faciat mutabile verbum.
Ultra ego jam nubes video, cælumque supernum,
quod coram vidit Persæ gloria Tarfi
Paulus, & heic CHRISTI meruit sermone doceri,
eminus intueor. Nimirum heic omne serenum
apparet, nil est, umbris aut nubibus auram
quod mutet, faciatque novos consurgere motus.

Vidi ego, quæis nuper non sic rideret Olympus,
quos & tempestas tristaret, & imber & umbra
obruerent, premerentque feris mala tempora fati.
Tantum pars magna fui nempe ipse malorum,
qua si jam meminisse velim, non tempora lauri
ambiat hoc folium; merito sed taxea nigras
nubat silva comas & deplorata cupressus.
At verò Omnipotentis Heri clementia fecit,
quod non consumpti fuimus; clementia Jovæ
quod vos non unâ, quos heic ego cerno, vel omnes

quos muri moles in civica foedera cogit.

Ergò heic jam cælum video Numenq̄ serenum.
O sit, quod voveo, deinceps! Sit latus in urbe
claror, & in patrijs nusquam sit finibus ultra
tempestas bellorum ingens! Pax alma virescat
Germanæ ditionis agris! Pax illa Cathédram
incolat hanc, roseasq̄ comas heic sudus Apollo
ventilet ac faciem radianti purpuret auro!
Tempestas non ulla queat turbare Lycéum,
quod Numen jubet esse sacrum quodq̄ esse quietum.

Sed nunc quo lituo spacium discernere cæli
fas erit? Ecce Canon lituus sacer esto J E H O V A,
verbi nempe Canon, & fons & norma docendi.
Hoc lituo certè cælum omne, immò òne, quod usquã est
in mundo finire licet, spaciumq̄ tenere,
quo veniat fors queq̄ suis revolubilis orbe
motibus, & quantâ promptum sit querere curâ.

Hic lituus nobis maneat, nec querere fas sit
hunc præter, tellus quo dispescatur & æther.
Hic nobis templi partes definiat, ipse
designet scholicæ spacium normamq̄ palastra.

Nunc ipsum auspiciam fas sit cognoscere, quale
augurium, an felix nobis sese offerat, & quod
quâ parte, & quâ sorte itet, quaq̄ advolet omen?

Vos animo, collecta Cohors, lato esse jubemus.
Nimirum lato auspicio venit æthere ab alto,
candens inq̄ humili residens tellure COLUMBA.

Hanc equidem cerno, nostrum descendere in agmen

atq̄

atq; volatu imo sese acclinare Lycéo:
jâmq; latus dextrum petere, & desigere rostro
virgulta, ac ramum tardè crescentis oliva.

Hec est, quæ Noë quondam revolavit ad arcam,
hec est, quæ CHRISTI sese ad baptismatis undam
obtulit, occiduo letissima nuncia mundo
detulit, & sacri sparsit mysteria verbi.

Hec nostris etiam domibus templisq; vel olim
insedit, pacisq; oleam defixit in illis.

Nunc ipsa ingreditur nostri sacraria ludi,
hanc Cathedram subit, & claris subsellia lustrat
illinc luminibus; cultis hinc stipat alumnis.

Ab porrò sacer hospes ades! Tu nostra sacella
ingredere & nunquam seclis hinc cede futuris!
Tu porrò sacer hospes ades! Tu tecta Lycéi
ingredere & nunquam seclis hinc cede futuris!
Tu porrò sacer hospes ades, nostramq; Cathedram
ingredere & nunquam seclis hinc cede futuris!
Tu porrò sacer hospes ades! Tu pectora nostra
ingredere & nunquam seclis hinc cede futuris!
Felix sic nobis conspecta est ritè columba.

Nunc AQUILAM spectate gravem, felicibus olim
auspicys visam veteri, sic fama, Quiriti.
Tarquinio quondam Prisco cum pilleus esset
rostro Aquila detractus & hinc in vertice rursum
sublimi è lapsu positus, mox intulit Augur,
regnum ipsi constans hoc omine designari.

Augur Aristander, cum trajecisset in hostem.

impete magno Aquila, & grandes volitasset in ictus,
dixit Alexandro: Tu bello victor abibis.

Nos Aquilã, Patres conscripti, ex Austride terrã,
vidimus in spatium, quod designavimus, ire,
omine pòl fausto! Nempe heic ter maximus orbis
CÆSAR habet partes, aquilaq; biverticis alas
explicat, & nobis gratam facit esse quietem,
pilleoliq; umbrã, quod libertatis habebant
symbolon, urbis opes & libera jura tuetur.

Ipsa quidem nuper volitans trajecit in hostes,
nempe suos. tamen interea non ille volatus,
quantum alijs, pacis studiosa huic obfuit urbi:
immò his auspicijs & sub victricibus alis
tuta fuit nostra hac, & adhuc Respublica tuta est.
Et Schola quòd durat nostra hac, pra millibus una,
quòdq; hac jam loquitur Cãthedra, & quòd surgit &
sumit Ephebeum, certè hoc, post vota Tonantis (augmen
calica, vel solis Aquila dominantis in orbe,
acceptum auspicijs ferimus, qua pacis alumnos
nos jubet esse, suisq; fovet nos jugiter alis.

Amplius ò fiat! neq; nos civilis Erynnis
implicet ancipiti bello, neq; turbet ab illo
facta bonis avibus scholici primordia Ludi!

His ergò, ò Patres, res salva volucris esse,
hoc & Gymnasium poterit; si nempe Columba
calica; deinde Aquila hac nobis felicibus adsint
auspicijs, urbi grata halcedonia praestent.

Præstabunt! Sic Augur ego, sic nuncio Vates.

Atqui

Atqui extra spatium video, quae noxia nostro
Gymnasio esse queant animalia, quae, rogare
Numen, ne veniant nostra in consortia, justum est.
Primò equidem AMPHIBION video, quod & antè Jo-
monstravit lituus noster; quodq; ipse revelat, (banni
dùm cernit Stygij diducto ex ore Draconis;
ex ore, infelix quod Bestia pandit, & ille
Pseudopropbeta aperit, venientem in secula mundi
multa-coaxantem triplicatâ ab origine RANAM.
Daemonis impurum genus, & quod plurima mundo
signa edit: Reges terra procedit ad omnes,
ut BELLA ARMA MINA SÛ, fero persuadeat Orbi.
Persuadet, magnosq; Duces in praelia cogit,
praelia suprema certissima signa diei.

Non aulis solùm eximijis haec rana coaxat,
sed petit & replet multo clamore Lycæa.
O procul à nobis absit! non ulla per ævum
tempora deturpent tam fœdâ prole Lycæum,
non & tam rabidâ tam dirâ peste Catbedram!

Furfuris ejusdem sunt, quorû est pompa cucullus,
gloria calvitium, sursum volitantis ALAUDÆ
qui faciem ostentant, cantant, atq; ire sub astra
contendunt, nec eunt; nudi quiq; astra mereri
stulticiâ voluere pedis, Philomela quod olim
Helmboldina piè cecinit, temploq; canorem
contiguo huic Ludo mansurum in pariete fixit.

Sed nunc Amphibion volucresq; ex aede remota.
Ergò καὶ βερεκεῖ βερεκεῖ non amplius illic
auditur,

auditur, nec caeca pedis dementia nudi,
nec color & caput heic sursùm-volitantis alaude
(ad cœlum nunquam sed pervenientis alaude)
visitur. Impietas templo non ampliùs isthæc
regnat. adest pietas & puri concio verbi.

O adsit porrò & sacram non deserat adem!
Adsit & huic Ludo! Contrà non iste cucullus
deformet Cathedram; nec turbet rana Lycœum!
Quin potiùs servet limoso in gurgite sedem,
vestras, Orce, domos: illà se jactet in aulà!

Nunc genus & reliquũ, augurij pro more, videndũ.
Monstrum illud noctis, dirum mortalibus omen,
ignavus BUBO, faustis ferè semper in urbe
obstitit auspicijs. non est vocale quod edit,
sed gemitu infausto mortales vulnerat aures.
Funeribus turbare solet ferè munera cuncta,
& quæ stant recto, talo jubet ire recurvo.

O longè à nobis, ô longè à cœtibus absit
Pieridum! Charites nec turbet in ordine nostras!
Vox sit non gemitus, dociles quæ hinc influat aures,
quæ sonet è Cathedrâ, totumq; hoc impleat agmen.
Nil fiet infausti, nil sit feralis in illà!

Exitium adportat CORVUS, si levis, & idem
garrulus. O levis Cathedrâ procul error abesto!
Garrulitas inimica procul, procul esto profana!
Et corvus niger est. hûc ergò volare caveto.

VULTUR abes, tu nempe rapax, ne deme, Lyceo
debita. Tu indubijs quondam conflictibus urbem

creditus

creditus & sacram populo infestare quietem.
Vultur abes! **VESPERTILYO** tenebrose, caveto
lucifugas inferre hostes sub tecta Lycæi,
qui tecum de nocte volant, fugiuntq; serenâ
luce loqui, Marte & galeâ conflagere apertis.
Ingratus nunquam veniat sub tecta **CUCULUS**.
Nec PASSER lascivus eat. **Nec** garrula **HIRUNDO**
bus volitet; nec se scamnum demittat in istud.
Ignavum FUCOS pecus à præsepibus unâ
arceamus meritò. Non est ignavia nostro
apta choro, visq; illa gula damnosa voracis:
nec nobis vis apta gula resupina bibacis.

Has volucres exesse velim. quid deinde? Jubebo
quadrupedum genus infelix exire Lyceo. (magnis,

Turpè **RUDENS ANIMAL** saccis onerabile
non schola, sed mola sit, qua tundat & exigat ipsum.

BOS cum Collegâ **Taurello** & fratre **Juvenco**
hinc absint. non sunt armenta hæc apta Lyceo.

Exesto **CANIS**, invidia Patronus & ira,
& gravè latrantis stimolata potentia rictûs.

VERVECUM è patriâ capiant subsellia nullos.
Nec tibi, **SUS**, nostri spirent thymiamata Ludi.
Nec **LUPUS** in medium crudelis proruat agmen,
ore gravis, tenerumq; minax infestet oviles.

Et quamvis **VULPES**, Heidero teste, Scholaris
detur, quæ nomen meliori ex parte reservet:
non tamen hæc ferimus, censore & iudice eodem,
quæ fraudem occultet vapidò sub pectore, quæ sit

C

noxia,

noxia, quæq; vorax, quæ fatida, quæq; sit aptis
hospitijs ingrata, piloq; agrota fluenti:
quæ clauda & rabiosa malisq; incommoda diris.
Non animus LEPORES mensâ proscribere nostrâ;
proscribo à Cathedrâ, proscribo à limine Ludi.
Non animus VITULOS mensâ proscribere nostrâ;
proscribo à Cathedrâ, proscribo à limine Ludi.
Non animus PISCES mensâ proscribere nostrâ;
proscribo à Cathedrâ, proscribo à limine Ludi.
Non animus CANCROS mensâ proscribere nostrâ;
proscribo à Cathedrâ, proscribo à limine Ludi.

Ex hominũ genere, haut MULIER, quã Paulus ab
submovit Cathedrâ, Cathedræ de ponte loquatur. (ipsâ
Postulat illa virum, non fracto pectore mollem;
sed qui magnanimus sit corde, & mole suâ stet:
copia cui rerum victrix, cui dulce loquendi
pondus & undantis diffusa potentia lingua.

DIRAS, quas Augur vetus olim sepè notabat,
ex spacijs prorsus secludo atq; aufero nostris.
Nullam jam video. nullam post ulla vetetas
heic videat: Ludo Diras exesse jubemus,
à Cathedrâ, à scamnis Diras procul esse jubemus:

Sic Ludum, sic & Cathedram, sic scamna novella,
auspicijs sacrare bonis, lustrare malignis,
Augur ego veteri exemplo, sed more recenti
debebam. Vestrum nunc est, præclara virorum
pompa; sed & vestrum, juvenes, attollere vultus,
ad sedem

ad sedem Omnipotentis Heri, quodq; omen in isto
schemate signavi felix, deprecere nobis.

Quod contra infelix migrare & cedere iussi,
arceat Omnipotente manu Pater ille salutis.

Hoc, inquam, vestrum est & voce & mente precari.

Ista quidem & veteri exemplo, sed more recenti,
hoc est Christiano; pro parte & fadere nostro.

Hoc agite. orando vobis ego verba praibo.

SANCTE PATER, quem terra tremit, quem suspicit
qui terram, & magni maris aequora circūcirca (aether,
fundasti, & semet, nullo fundamine, nixa,
orbe rotundasti vastissima corpora, & uno
federe junxisti, medioq; quiescere centro
iussisti, starent immoto limite semper.

Qui caelum Omnipotente Logo, perq; aethera gemmas
Flamine firmasti sacro. Quiq; omne gubernas,
quod factum est, qui fers cuncto super orbe salutem;
qui solus das omne bonum, qui solus abarces
omne malum. Unanimes tua quos huc dextra locavit,
auspicys referare bonis nova tecta Lycei,
TE, Pater, unanimes & corde & voce rogamus,
ut quae nunc nobis aperis loca, quaeq; Lycéo
apta facis, jubeas pleno efflorescere cultu:
& verbum resonare tuum, doctisq; vacare
artibus, & cultas agitare ac psallere linguas.
Spiritus in Cathedra regnet, grata illa columba,
& pacis-verbum pleno efflorescere ramo

inde sinat, donis subsellia repleat amplis,
repleat hanc ipsam divinâ luce Cathedram,
repleat hoc totum divino numine tectum.
Hanc præter, cœli quæ venit ab arce, columbam,
hæc Cathedra, hoc tectum pateat non amplius ullis:
non raris canibusq̃. Canes latratibus extrâ
audiat infelix Augur de gente profana.

Ast Ranas Tortor Stygias detrudat in undas!
Nos populus, Pater alme, tuus CHRISTIQ̃, fideles
adsumus. O simus! Sed & heic pax alma ministris
fulgeat usq̃ tuis! Aquileq̃, quæta sub alis,
immò alis, Rex magne, tuis peragamus in orbe
tempora, quæ restant. Nam Te Duce & Auspice solo
pax constat, pax sola manet. nec Te sine pacem
Casar habet. Pacem pro Casare poscimus omnes.

Tu Stygias volucres nostris à finibus arce,
à tectis prohibe nostris, ne tacta venenent
insciantq̃, novis vix puras pestibus auras.

Ast nunc, quod caput est, nostro tua gratia Ludo
adsit, ut obstaculis crescat surgatq̃, remotis!
Semper ut externus celebrata frequentet alumnus
hæc loca: nec quisquam internus fastidiat unquam!
Atqui cujates & quiqui hæc ipsa frequentant,
existant dociles & magnis artibus apti,
evadant celebres & magnis usibus apti!

Non sint in nobis Epicuri de grege porci;
non sint ex nobis pecora infelicibus orta

auspicys.

auspicijs. Sit sacra Tibi plantanda juventus!
Sit plantata rigata omnis Tibi-sacra juventus!
Sic sacrata Tibi dicetur ritè Cathèdra;
sic Tibi dicentur subsellia ritè sacrata;
sic Tibi dicetur sacratum ritè Lycèum.

ORATUM EST. Nunc sacra DEO sit Musica rursū
prompta. Coloratis vos occinitote figuris.
Vos, inquam, pueri, juvenes & mascula virtus
Melpomenes, quæ das per fundamenta notarum,
vimq; modosq; animis. Omnes modulamine dulci
harmonicos vibrare sonos. Producite acutas,
jamq; altas tenero componite murmure voces.
Raucisonos medijsq; soni miscete tenores,
& fundamentum tremulis rugitibus, imam
constabilite basin, numerosq; augete sonoris
linguarum plectris, variato carmine vocum.

Nec solùm vox assa canat; vox mista Lycèo
amula Terpsichores resonet per fila canores,
flexanimos varietq; sonos dulcedine gratâ.
Panduraq; fides melicâ pro lege periti
artifices stringant: & setiger arcus in illis
longos diducat tremulo moderamine tractûs.
Arida clangenteis se buccina tollat in auras,
ductiliumq; tubarum anima spiracula solvant,
eructent crepero per torta volumina tractu
raucisonos ex ære sonos; hilareq; tremiscens
adsonet & dulcis depromat fistula cantûs.

*Omnia que culto sint ornamenta Lycéo ;
Et Cathedra & Charitum cedant modulamina honori :
Musarumq; choros animent, animosq; jacenteis
in majora arment, & multo robore firment.
Quicquid erit. Nomen summi celebretur IOVÆ,
aternoq; Patri laus una atq; unica constet !*

D I X I !



ACTU INAUGURATIONIS FINITO,

AMPLISS. AC LITTERATISS.

VIR,

**DN. VALENTINUS GOTZIUS, SENA-
TOR AC SCHOLARCHA**

ex-tempore subjecit:

Nunc indignus Ego sic pro colophone Scholarcha
GOTZIUS adjiciam vota q; parva feram:
Qui GOTTINGENSI dedit hoc Rectore benignum
Huic quoq; successum det DEUS, oro, Schola!

M. Lu-

M. LUDOVICI HELMBOLDI
THEOLOGI ET POETÆ CL.
MULHUSINÆ ECCLES. SUPERINTENDENTIS
MERITISSIMI P. M.

VERSUS:

Quorum in hoc carmine fit mentio:
Et quos ipse in templo NUDIPEDUM
publicè adscriptos
æternitatis memoriæ consecravit.

HÆC MONACHOS OLIM FOVIT DO-
MUS, ASTRA MERERI
STULTITIA NUDI QUI VOLUE-
RE PEDIS.

NUNC RECIPIT DOCILES PUEROS
DOCILESQ; PUELLAS
HUC GEMINI SEXUS CONVENI-
ENTE SCHOLA.

PURIFICANTE SACRI QVOS A BAPTIS-
MATICIS UNDA

NON PATITUR NUDOS AMPLIUS
ESSE DEUS.

SED SEMEL INDUTOS CHRISTI CAN-
DORE STOLAQVE

PERPETUO VESTES HAS RETI-
NERE DOCET

VERBA

VERBA CATECHISMI REPETENS: LU-
THERUS AB IP SO

QUÆ TULIT ET FACILI SIMPLICI-
TATE DEDIT,

HÆC ITA DISCENTES UT SIMPLICE
PECTORE CREDANT,

ORNATUM FESTI CONNUBIALIS
HABENT.

NOS UBI SPONSA SUMUS CHRISTI, QUI
BYSSINA SPONSÆ

VESTIMENTA FIDE JUSTIFICAN-
TE PARAT.

PERGAT, ET HUNC NOBIS SOLIDUM
TUEATUR AMICTUM,

SIMUS UT EXTREMO GENS SPE-
CIOSA DIE.

F I N I S.



Et **dominus** **procepit** **eis**
omniam **via**

Et **dominus** **procepit** **eis**
omniam **via**

Et **dominus** **procepit** **eis**
omniam **via**

Et **dominus** **procepit** **eis**
omniam **via**



ΣΤΝ Θ

INAU RATIO TIC

AUDITORIUM, CATHEDRA
IN
GYMNASIO
PIETATIS ET HUMANITATIS
REIPUBLICAE MULHUSIENSIS
MULHUSIENSIS
STUDIIS
FELICITATE
ET FACTORUM & CO
EX AUGURIO & ARUS
RECENT
ET PUBLICO IN
HEROICO
PERA
IV. NON. IXBR. AN
AUSPICE V
M. GEORG. ANDR
P. L. CÆS. GYM

MULHUSIENSIS
TYPIS JOHANNIS

